



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Caput Primum. Quid est Ethica?

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)



PHILOSOPHIÆ ETHICÆ

REPETITIONIS LIBER

PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid est Ethica?

ETHICA est virtutum scientia.

Unde dicitur hæc scientia?

Παρά τῶν ἠθῶν, à moribus, quod
mores probatos, hoc est, omnis
generis virtutes doceat.

Quis finis est hujus disciplina?

Virtuti congruenter, id est, bene beateque
vivere, & ita summum bonum seu finem ho-
minis adipisci.

*Statuis igitur extremum ejusmodi bonum esse,
in quo natura hominis acquiescat?*

Omnino.

Quibus argumentis hoc demonstras?

Omnis ars, omnis doctrina, omnis actio, o-
mneque studium ad bonum aliquod refertur:
ergo etiam summum aliquod fuerit bonum,
in quo tota hominum natura tandem acquie-
scat. Secus enim omnia studia, omnesque a-
ctiones eorum irritæ & inutiles erunt.

Quomodo

ETHICÆ LIBER I. 13

Quomodo definitur summum illud bonum?

Summum bonum est, quod per se ab omnibus expetitur; vulgo εὐδαιμονία vel εὐωχία: Latine etiam felicitas dicitur.

Unde generaliter omnium artium finis dicitur εὐωχία.

Ergone tractatio Ethicæ confert ad bene degendam vitam?

Maximè. Quemadmodum enim sagittarii ad scopum collimant, & jacula sua dirigunt: sic nos omnes nostras actiones, conatus & studia eò referre debemus, ut bene beateque vivamus.

CAP. II.

De auditoribus Ethicæ.

Nam igitur juvenes etiam, qui nondum bene vivere norunt, hujus disciplina auditores esse possunt?

Aristoteles hoc ipsum negat.

Quomodo id ostendit?

Quam quisque novit artem, de ea rectissime judicare, eamque tantum intelligere potest: Puer sive juvenis morum probitatem nondum novit: quia usu rerum & scientia non valet: De doctrina igitur eorum judicare nequit.

Qualem verò Aristoteles simplicitérne ætate puerum intelligit?

Eum, opinor, intelligit, qui animi perturbationes sive affectus in omnibus vitæ actionibus sequitur: sive enim ætate puer sit, sive moribus, nihil refert.